



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

I. Canonizatio Sancti Petri de Alcantara Ordinis Minorum Sancti Francisci  
Discalceatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)



1669.  
& 1670.

obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. P. A. 1. die 7. Octob.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Octobris 1669. Pontificatus Nostri Anno tertio.

CLEMENS X. PONT. CCXLIII.  
ANNO DOMINI MDCLXX.

CLEMENS DECIMUS, Romanus, Æmilius Bonaventura antea dictus, Laurentii de Alteriis filius, S. R. E. Presbyter Cardinalis. Antequam titulum consequeretur, summus Pontifex Romæ est pronuntiatus die 29. Aprilis 1670. & die 11. Maii coronatus. Creavit Cardinales 20. Obiit Romæ die 21. Julii, 1676. sepultusque est in Basilica Vaticana. Sedit menses duos, dies 6. Vacavit Sedes Mens. 1. dies 30.

I.

Canonizatio Sancti Petri de Alcantara Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum.

*Hunc Petrum Clemens IX. Sanctorum Catalogo adscripsit, una cum Sancta Maria Magdalena de Pazzi, sed morte præventus Bullam expedire non potuit, & idò hic Pontifex illam expedivit.*

Edita A. D. 1670.

CLEMENS EPISCOPUS

Seruus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanorum gesta Pontificum (præsertim majorem Dei gloriam, ac Sanctorum ejus laudes, & honorem concernentia) super quibus illorum superveniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerunt, recenseri justum reputamus, & rationi consonum, ut illa universis Christi fidelibus innotescant. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor noster devotæ considerationis indagine perscrutans, quod inter cælestes Heroes, quorum eximia vitæ sanctitas ritè comprobata promeretur singularem Christianæ Reipublicæ cultum, illis præcipuè Sancti nominis immortalitatem Apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum eximia sit Populorum utilitate conjunctus. Hinc illi, qui peculiari alicui vitæ Instituto ideam sanctitatis exhibuerunt, & sacrorum præsertim Ordinum Fundatores insigni virtute, ac prodigiis Illustres, libentissimè sacras ad Aras accipiuntur, quibus junguntur ii, qui Religiosas familias jam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, & ad sanctioris instituti studium ab excessu virtute commendati invitarunt; quorum merita exigunt, ut Sanctorum albo adscribantur: magna siquidem haud dubium est in sacram eorum militiam, atque in universam Ecclesiam commodam profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt. Quamobrem cum sanctissimus, Deoque gratissimus vir Petrus de Alcantara, optimè meritus sit de Christiana Republica, eo quod inculpatam Religione & doc-

S. Petrus de Alcantara de Christiana Repub. optime meritus.

trina Sancti Francisci familiam, sætu novæ proli adauxerit, eamque jam per Hispaniæ, & Indiarum Regna dilatam, per semitas strictissimæ paupertatis ambulare docuerit, & omnibus Christi fidelibus præbuerit exemplar incredibilis poenitentiae cum summa innocentia conjunctæ, deesse illi non debeat Sancti nominis gloria, & Populo Christiano insigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutum incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens Prædecessor, qui sibi hanc mentem inspirasset decernendi supremos honores huic viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur, & à quo salutarem opem in maximis hisce infelicitium temporum discriminibus, præsertim contra superbiam, & ferociam Turcarum implorabat. Ut autem celeberrima Petri sanctitas testimonio etiam suo comprobaretur, & ejus eximias virtutes universis Christi fidelibus imitandas exhiberet, ac illius in Terris admiratione dignam, & laudabiliter transactam vitam explicaret, sic proponere decreverat. Exortus in lucem erat Sanctissimus hic Vir Norbæ Cæsareæ, vulgò Alcantaræ in Baturia Hispaniarum Regione anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, ex Parentibus genere, ac pietate Nobilibus, Petro Garabito, & Maria Vilella, idemque Petri nomen, quod in sacra familia perpetuum illi fuit, sacro è fonte susceperat. Ab ineunte ætate ambulans in innocentia, vitans lubrica, & voluptatibus obnoxia, & hominum commercium fugiens: contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore Cælestium incensus, aliquando extrà se raperetur; Ideòque sapientia crecens, & gratia, mensuram ætatis moribus senilibus excedebat. Studium literarum ingressus acri ingenio, ingentem spem suis Parentibus, & Magistro indidit: Quia verò noverat sapientem futurum, qui cum sapientibus graditur, Religiosorum Virorum consortio delectabatur, ac Divinæ præsertim inhians sapientiæ, sacros avidissimè quærebat libros, à prophanis abhorrens. Et quoniam ab infantia secum creverat misericordia, omnibus se Charitatis operibus assidue dabat: Infirmos proinde, in carcere positos, & egenos quantum poterat, sublevarat. Cum autem in alios pius esset, & misericors sibi tamen ex tunc incipiebat esse austerus, nam non solum singularem abstinentiam sensuales appetitus frænare, sed & levissimos quoscumque defectus flagellis asperis consueverat expiare.

§. 1. Licet autem etiam dum in sæculo versaretur animo Cælum recoleret; magis tamen, ac magis abundans in scientia, & in omni sensu probavit potiora; & annum ætatis sextum decimum ingressus, in Custodia sancti Evangelii, seu Extremaduræ (quæ nunc Sancti Gabrielis Provincia dicitur) Fratrum Minorum Discalceatorum habitum, & Evangelicam vivendi formam suscepit.

§. 2. Quod consilium insigni prodigio approbavit Deus: cum enim festinanti ad Religiosi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc fortè imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas esset; effusus in preces in altera se ripa divinitus constitutum extemplo reperit Petrus. In Cænobio tam magnos in virtute statim progressus fecit, ut initio tyrocini emeritis Christi militibus emereret; ad omnium tamen pedes mirabili demissione prosterrens se.

§. 3. Præcinxit illum Deus virtute, & posuit immaculatam viam ejus paupertate, religiosæ disciplinæ rigore, rara oculorum modestia, incredibili siti cruciatum, magnam in omnibus excitavit admirationem sui.

§. 4. Solemnem professionem, expleto tyrocini anno emisit, & sese elevans supra se, humana omnia transcendens, & anhelans ad Cælestia: oculis ta-

Clemens II. cum venerabatur.

Vita administratione digna.

S. Petri merito vitas.

Ejus patentes.

Ab ineunte ætate rebus Divinis vacat.

In operibus Charitatis assiduus.

Abstinentia.

Conversatio ejus in Cælis.

Anno 16. ff. Min. habitum suscepit.

In alteram fluvii Tietar ripam divinitus trajicitur.

Virtutes eximia in tyrocinio Religiosis.

Rara oculorum modestia.

men



men in terram semper dejectis, ignorabat an Chorus Ecclesiae ( quem perpetuo adibat ) fornice obductus esset, an laqueari; an cellula sua ex lapidibus, an ex lignis constaret: Et exactis in quodam sui Ordinis Cœnobio tribus annis, Fratres non ex vultu, sed ex solo vocis cognoscebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere studens, per triennium quosdam in ore lapillos detulit, ut vel sic loquendi pruritum coerceret.

§. 5. Senili prudentia juventutem supergressus, vigesimo ætatis anno præter sacri Ordinis morem, Custos Cœnobii Sanctæ Mariæ Angelorum renunciatus est; ubi tot Charismatum dona cœlitis illi collata sunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruscaret. Cum enim annona omnis defecisset, ac Fratres egredi ad petendam elemosynam prohiberentur ( altissima nive Conventum obfidente ) conquiri de Petro cœperunt, qui etiam rigente Hyeme ipsis cogitare de castino veruisset; quidquid mensæ supererat, quotidie in pauperes distribuere consuevit: at ille cetero sciens enutriendos esse, qui jactant cogitatum suum in Domino, iussit ad ostium puerulos pergere, ubi super acervum nivis postibus hærentem, prægrande canistrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, & itinere alta nive obfiteo, non nisi ab Angelis eo delatum: quam divinæ providentiæ curam aliis quoque vicibus est expertus.

§. 6. Sed mirabilior erat Petri vita quæ ut viva lex perfectionis Alumnos provocabat ad sanctitatem. Pro quovis præconio sufficeret referre illa, quæ de hoc viro sanctissimo dixit Sanctissima pariter Virgo Theresia Carmelitarum Reformatorem Patrem; videlicet ne momento quidem diei, ac noctis Petrum ab oratione cessasse, & ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Theresia teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depressa erat, ut flexis genibus, & curvis semper humeris in illa hæere cogeretur.

§. 7. Per quadraginta annorum decursum sequihoram tantum somno concessit. Jejunium amavit, adeo ut ad triduum ordinariæ, & ad octo aliquando dies inediam protraxerit: asperrimo præterea cilicio armatus, bractea ferrea per viginti annos præfixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissimè animadvertens, itenera quamvis longissima, atque asperrima capite semper detecto, nudisque pedibus per æstus, & frigora suscipiens; ita ut cum nudum caput imbribus, & nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, & æstate præservida, exurentibus Solis radiis, capite vehementissimè cruciaretur: respondere solitus interrogantibus, cur detecto capite semper incederet; nefas esse coram Deo detecto capite ambulare. Cum vetustum, ac vilem sacco abluibat madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente Hyeme sese plerumque injiciebat. Præter hæc, familiare illi erat Hyeme summa, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram, & januam Cellæ referare, ut frigidissimo excepto aere, & gelu, acrius torqueretur, caro mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram clausisset, & januam. Eo devenit hac sæva maceratione membrorum, ut ex narratione Sanctæ Theresiæ arido, & exangui corpore, radicem arboris speciem exhibuerit: oculis autem in caveam recedentibus, & sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile Poenitentia simulacrum videretur.

§. 8. Ex hac eximia vitæ sanctitate vires hausit ad egregia quævis præstanda in honorem Divinitatis, eaque prodigioso morum suorum exemplo assequi potuit. Latere ille quidem præoptasset, & paternam Sancti Francisci humilitatem secutus, Regale Sacerdotium formidasset accipere, nisi ad illud Superiorum imperio coactus fuisset: Itaque

non fumens sibi honorem, sed vocatus à Deo tanquam Aaron Sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus viderentur fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

§. 9. Jussus etiam est suggestum ascendere, ac verbi Divini panem ex tempore Populis esurientibus frangere: cumque de ore ejus erumperent quasi sagittæ potentis acutæ innumeros felicissimè lanciatis eruit de potestate tenebrarum, & transfuit in Regnum filii Dei. Præterea confluerebant ad illum privatim erudiendi non modo infirmi, & populares, sed etiam Nobiles, ac Principes viri, quos mira suavitate, & efficacia verborum ad salutarem poenitentiam invitabat. Confessarii tamen munus apud Carolum V. Cæsarem declinavit, captus amore solitudinis, & demissionis, ac metu discriminum Aula Regalis.

Plura Cœnobio sui Ordinis sanctissimè temperavit, videlicet illud Sancti Honuphrii in Provincia Sancti Gabrielis, Sancti Michaelis Placentiæ, aliaque: subindè Provinciæ Diffinitor, & Custos, ac deinde omnium suffragiis in Provinciam electus est Provinciæ Sancti Gabrielis; cujus regimini sedulo incumbens exemplis, & verbis, quædam edidit Constitutiones, quibus prioris Observantiæ nitor restoreret. In Lusitaniam quoque perrexit, ut nascentem Arrabidorum Provinciam juvaret, & promoveret.

§. 10. Cum autem arctiorem sui Ordinis disciplinam vigere desideraret, & longius extendi, superatis gravissimis difficultatibus, Divino munus præsidio, & Apostolica fretus auctoritate, primum novæ reformationis Cœnobium angustissimum, & pauperrimum sub Immaculatæ Conceptionis titulo prope Pedrosam Caurentis Diocesis in Bæturia, vulgò Extremadura Oppidum construxit; ubi cum paucis sociis, Apostolicam sui Patris Francisci vitam renovavit. Hinc à Paulo IV. Summo Pontifice ejusdem Clementis, ac nostro Prædecessore Commissarius Generalis novæ Reformationis institutus, alios ædificavit Conventus, ex quibus, & quibusdam aliis ejus se regimini ultrò subdentibus, Provinciam Sancti Josephi fundavit: mox destinatis ad Regnum Valentia sociis, Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ fundamenta jecit. Ac tandem illud strictissimum vitæ genus in varias Hispaniæ Provincias ad Indias, & Japonium usque feliciter dilatatum est, ubi ex ipsa Reformatione multi martyrio coronati sunt.

§. 11. Sanctam quoque Virginem Theresiam in stabilienda Carmelitarum reformatione indefessus adjovit, itaut ipsamet testante, recentis illius paginis sit præcipuus promotor existimandus. Et revera multas pro re tanta peregrinationes suscepit, & labores tulit; immò & absentis opem, & consilium laturus aliquando miraculosè apparuit.

§. 12. Quam gratum acciderit Deo studium hoc observantiæ strictioris, & quanto haberi vellet in pretio Seraphicū zelum hujus viri, Deus ipse prodigiis ingentibus comprobavit: cum non solum rapidissimas Tagi, & alterius fluminis aquas siccis ipse pedibus aliquando transivit; sed & puer qui a fello infidens canistrum panibus refertum ad illum, & Fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato jumentum impulit in flumen, quod solidum, ac tutum supra suas aquas ingressū eidem præbuit.

Cum Joannes de Neira Petri in itinere socius, inedia, & siti confectus penè decideret, in loco, ubi ad orandum Sanctus hic vir se composuerat, fons illic erupit, & panis cum pisce ad esum paratus apparuit.

Infixus ab eo terræ aridus baculus, in viridem ficulneam excrevit, cujus fructus etiam nunc agris salutem redonant.

Atroce pertinacis mulieris injuriam non modo patientissimè toleravit; verum etiam flexis

Prædicationis uberes fructus.

Zelus pauperratis.

Angustissimū Reformatio- nis Cœnobii construit.

A Paulo IV. Commissarius Generalis reformationis institutus.

Siccis pedibus transit flumina.

Cibum, & potum divinitus socio præbet.

Baculum aridum planat, & in ficulneam crescit. Patientia. Humilitas.

Silentii rigor.

Anno ætatis 20. renuntiat Superior.

Prodigiis corusca adhuc juvenis.

Alios ad sanctitatem provocat.

Oratio assidua.

Cellæ angustia.

Somnus arctissimus.

Bractea ferrea corpus dilaniat.

Detecto capite semper incedit.

Sæva membrorum maceratio.

Amor in Deū.

Sacrum semper celebrat cum lacrymis.



Ratus in aere radios ex oculis emittit in crucem.

Propheta.

Imbrem a Deo obtinet.

Per flammam innocuus incedit.

Demersum in aquis mirabiliter extrahit.

Vsum restituit.

Feminam a consuetudine Damonis liberat.

Nives in aere pendulae.

A copiosissimis imbribus non madefactus.

Procul distantibus corporaliter apparet.

Inter orandum in altum elevatur.

Mortalis infirmitas.

Mortis horam praedicit.

Extasis.

In genu erectus lucide migrat in caelum.

Plenus gloria apparet S. Theresia.

Splendor ex oculis, & o-

coram ea genibus pro culpa, quam non patrarat, humillime deprecatus est.

Semel Crucem in horto Pedrosi devotis oculis contemplans sursum ferri, & in aere coram ipsa suspendi, & lucidissimos quoque ex oculis radios, in eandem crucem emittere visus est, candidaque nube caput ejus circumdari.

§. 13. Quendam adolescentem benedictionem suam enixe efflagitantem, cum ab Urbe, quam primum recedere decrevisset, de gravi discrimine, quod illi imminebat, in haeticam quandam opinionem incidendi praemonuit.

Scholarem alium respiciens, Mundo quamprimum renunciaturum, sacrumque Religionis habitum susceprurum divinitus agnovit.

In magna ficitate, precibus suis copiosum a Deo imbrem obtinuit.

Accensum ignem in quodam Conventu, per flammam ipsas innocuus incedens sine mora extinxit.

Demersum in puteo infantem, corda qua cingebatur in eum locum demissa, mirabiliter extrahit.

Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, data ei benedictione protinus illuminavit.

Feminam quandam a Damone per multum temporis deceptam, de prava illa consuetudine, quam cum maligno Tentatore habuerat, commonefecit, & liberavit.

In reditu ad Conventum de Arenas a Civitate Abulae, obrutus fuisset nivibus, quarum vis ingens a Caelo devolvebatur, nisi ejus precibus coercita, in aere pendulae constitissent, & prodigiosum tabernaculi generis artificioso fornice composuissent, quo in lufus Petrus ab aliarum laesione nivium prohibebatur.

Imbres quoque copiosissimi eum madefacere non sunt ausi, quod etiam dum augustum Missae sacrificium offerret, ipsi & circumstantibus semel evenit. Corporaliter videndum se praebuit plurimis procul distantibus: Prophetico lumine remotissima locorum, ac temporum spatio praedixit. Demum usque adeo fuit in deliciis Divinitati, ut omnium vota, quando Petrus intercessorem exhiberet se, implenda esse professus fuerit Sanctae Virginis Theresiae, ut ipsamet sibi semper accidisse faceret.

§. 14. Et illius quidem preces adeo incensaerant igne Divino, ut inter orandum brachiis in modum Crucis expansis in altum saepissime ferretur; ac dum Sacrum faceret elevari in sublime coram Populo aliquoties conspectus fuerit: immo tanta ejus erat assiduitas orationis, ut nunquam ab ea cessaret, & intuentibus ipsum, homo alterius saeculi videretur.

Edoctus ergo etiam dum in Terris agebat, ad Caelum evolare, tandem meritis plenus, aetatis anno sexagesimo tertio in febrim, ac dolores molestissimos incidit. Augebatur simul cum aegritudine hilaritas Petri, prohibentis Religiosam suam familiam a lachrymis, in quas ob amittendum amantissimum Parentem agebatur. Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, ac praedicta mortis hora, non jacens, sed humi erectus in genua in altissimam extasim diripuit; ac deinde sensibus restitutus: Latus sum (inquit) in his quae dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus. Et manu Fratris benedicens, ita illos est allocutus: Non intuemini Fratres mei, Sanctissimam Trinitatem, & Dominam meam gloriosissimam Virginem Mariam, & Sanctum Joannem Evangelistam. Quibus dictis adhuc excepto genibus corpore, migravit animo in caelum, & Sancta Theresia procul distans ab Opido de Arenas, in quo Petrus decesserat, illum vidit recto, & lucido tramite delatum ad sempiternam felicitatem; ac saepe postea eidem oranti apparuit plenus immensa gloria & purissima lucis radiis circumfusus. Corpus vero pulcherrimum Caelesti quodam colore perfusum, oculis apertis,

& miro splendore radiantibus, suavissimo de membris odore manante, intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni satisficeret, in eminentiori extra portam loco expositum fuit, ad cujus conspectum Populus suspiriis, ac vocibus Sanctum inclamabat, auxilium ab eo petebat, vel minimam habitus particulam pro summo quilibet bono reputabat. Inde processum est ad funus, numerofo Populo cum facibus, ac candelis accensis sacrum depositum comitante. Contigit autem inter cetera notabilia, quod Caelum imbre, ac vento furens, delato in medium corpore subito placaretur, dum in circuito omnia streperent, & inundarent, ita ut a Valerudinario, in quo decesserat, usque ad Conventum duobus milliariibus distantem, quieto Caelo omnes imma-defacti processerint, & ceram pro funere honorando accensam in tanto spatio nihil immutatum repererint. Ejus corpus in Ecclesia Fratrum Minorum Discalceatorum depositum, singulari Populorum veneratione invisitur.

§. 15. Excessit Anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, xviii. die Octobris.

Plurimis etiam post mortem miraculis coruscavit.

Alphonsus Sanchez faber lignarius, fracti crucis integrandi mortalem omnem spem projecerat; sed ad sepulchrum Petri, momento temporis convaluit.

Laborantem exitiali morbo Mariam de Paramo, & a Medicis desperatam, haustus aquae reliquiarum Petri contactu sacrae, dicto citius integrae sanitati restituit.

Sacramento Extremae unctionis munita jam erat Maria Velasquez, quae Petri opem exposcens illico surrexit incolumis.

Franciscus Ramirez sexennis puer cruribus contractus, oleo lampadis ante Petri sepulchrum lucis inunctis, repente sanatur.

Balthasari Rodriguez sexenni puero, fracto utroque lare, ac defluentibus intestinis penè confecto; effusa ante Petri sepulchrum preces, saluti fuerunt.

Francisca Martinez triennio claudicans, quae desperata fracti pedis salute, genibus, & manibus reptaverat ad Petri sepulchrum, incolumis, & solido pede innixa, regressa est domum.

Utraque aure surdus Bartholomaeus Garzia, contactu aquae, cui fuerant adnota Petri reliquiae, recuperavit auditum: & eodem contactu visum momento recepit Isabella Gonzalez a tribus mensibus caeca, & saedo apostemate laborans in dextero genu Joannes puer bimus, repente convaluit.

§. 16. Jacuit autem Petri corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat, sed cum undique ad illud ex tota confluere Hispania; Episcopi Abulensis auctoritate, in locum decentiorem a Religiosis Conventus de Arenas translatum est, & oleo similem liquorem distillans repertum, candidis velis fuit involutum retenta quadam reliquiae particula, & in Arca prope Altare majus iterum muro inclusum.

§. 17. Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens Praedecessor, & in illo corsum exultabat, quod nullis ejus suffragantibus meritis, sed altitudine divitiarum sapientiae, & scientiae suae, hanc Servi sui Petri de Alcantara Canonizationis solemnitatem, per ejus humilitatis ministerium ad sui nominis gloriam, & Catholicae fidei exemplum voluerit celebrari. Cum enim praeter eximia prodigia, quibus Petri vita effulsit, post mortem etiam quamplurimis aliis miraculis, ut ejus sanctitatem testaretur Deus, aditus aperiebatur ad sacros honores Petro deferendos.

§. 18. Propterea crebrescente fama ejus sanctitatis, venerationis, & miraculorum, editi super his fuisse Processus auctoritate Apostolica, & ordinaria: & accedentibus precibus clarae mem. Philippi III. & IV. Catholicorum Hispaniarum Regum, necnon

for manat e membris.

Sanctum in-clamat populus.

Mirabilia in funere.

Sepultura.

Annus, in dies obitus.

Post mortem miracula.

Gressum restituit.

Ab exitiali morbo liberat.

In extremis laborantem sanat.

Pedibus contractum restituit.

Fracta latera sanat.

Gressum restituit.

Auditum & visum restituit.

Ad sepulchrum concurrit.

Liquorem corpus distillat.

Fama sanctitatis.



ferè omnium Hispaniæ Regnorum, cæterisque de more peractis, Sacra Rituum Congregatio, cui supradictorum Processuum revisionem injunxerat Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster, tunc suus, respondit referente bon. mem. Marco Antonio tituli Sancti Eusebii Presbytero Cardinali Gozadino, juxta feriem relationis trium causarum Palatii Apostolici Auditorum, pluries examinatum fuisse causam Servi Dei Petri de Alcantara, ac plenissimè constare de validitate Processuum, fama sanctitatis, fidei puritate, cæterarum virtutum excellentia, reliquiarum, ac sepulchri veneratione, & plurimis tandem miraculis: ac propterea posse, si Summo Pontifici placuisset, eundem Petrum Sanctum, ac in Cælis regnantem, omnibus fidelibus solemnè Canonizatione proponere venerandum; dum interim Episcopus Abulensis in Capellam quandam novam à se dedicatam, sacrum ejus odorem suavissimum spirans solemniter transfudit, præsentibus nonnullis Hispaniæ Magnatibus, qui ferendis reliquiis nobiles humeros submiserunt.

§. 19. Quapropter idem Gregorius XV. felicior. Prædecessor noster, tunc suus, annuit precibus ejusdem Philippi IV. Regis, & Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum; atque Petrum Beati tituli insignivito die decima octava Aprilis anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo secundo; ac de eo tanquam de Confessore non Pontifice die decima nona Octobris, qua ipse memoriam celebrandam esse statuit ubique Terrarum ab universo Ordine Minorum Observantium utriusque sexus: In Oppido verò de Alcantara, ubi natus est, atque in altero de Arenas, ubi corpus ejus requiescere acceperat, ab omnibus tam Regularibus, quam Secularibus Clericis recitari Officium posse, & Missam celebrari, datis desuper literis in forma Brevis concessit. In Provincia verò S. Josephi, cujus Auctor extitit Petrus, à Fratribus Discalceatis de illo veluti de Patrono etiam cum Octava Officium, ac Missam celebrari posse.

§. 20. Deinde verò novus Processus conditus est ob nova Decreta ab Urbano VIII. edita, & fama sanctitatis perseverans, & crescens fidelium veneratio reperta est.

§. 21. Alia deinde miracula à fel. rec. Innocent. X. Prædecessore nostro, tunc suo, comprobata sunt die octava Martii 1650. cum Processus novi super his, quæ post Petri Beatificationem formati fuissent, instantibus in primis iteratis supplicationibus Episcoporum, Principum, ac Civitatum totius Hispaniæ.

§. 22. Repetito voto sac. Rituum Congregatio die 12. Aprilis Anno 1660. censuit posse tuto deveniri ad solemnem Petri Canonizationem, ac in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis assiduus labor planè ad prodigii genus accedens, argumentum insigne perfectissimæ charitatis in Deum cum salubri animarum profectu sanè admirabili Christi fidelibus colendus, & imitandus omnino proponeretur.

§. 23. Sed interim succedente interitu fel. rec. Alexandri VII. prædecessoris nostri, tunc sui, quo annuente Decretum supradictum emanaverat ab eadem Sac. Rituum Congregatione, & eodem Clemente ad Sancti Petri Cathedram evedo priores diligentia fuerunt instaurata, & accedentibus novis Principum Catholicorum instantiis, præsertim verò Regis Catholici Caroli II. secretum Consistorium fuit habitum die 18. Martii Anno 1669. in quo per venerabilem Fratrem nostrum, tunc suum, Martium Episcopum Portuensem S. R. E. Cardinalem Ginertum status Causæ Beati Petri relatus fuit; & omnium Cardinalium, qui adfuerunt, suffragia dixerunt placere eis, ut idem Clemens ad solemnem Canonizationem deveniret.

§. 24. Quapropter sequente publico Consisto-

rio, in quo de Canonizatione dicti Beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Capria, nostræ, tunc suæ Consistorialis Aulæ Advocatus, & nomine præfati Caroli Regis, necnon Regnorum prædictorum, ac Ministri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum eidem Clementi Prædecessori fuit humiliter supplicatum.

§. 25. Idem Clemens Prædecessor noster, in tam gravi causa orationibus, & jejniis publice indictis, & concessa pro hoc fidelibus Indulgentia, Divinæ voluntatis beneplacitum explorare sategit.

In semipieno postmodum Consistorio Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, (de quorum numero tunc eramus) scripta suffragia Canonizationis solemnitate approbantium, eidem Clementi Prædecessori diem Dominicum in Albis unanimiter innuerunt.

§. 26. Tandem cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, dicta die Dominica in Albis, quæ erat quarto Kalendas Maii, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, Pontificatus sui Anno secundo; in Sacrosancta Beati Petri Apostolorum Principis Basilica, in qua solemnè ritu cum ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Romanæ Curia Prælati, Officialibus, & familiaribus suis, Clero sæculari, & Regulari, & maxima Populi frequentia mane convenit, post repetitas pro Canonizationis Decreto petitiones, nomine ejusdem Caroli Regis à dilecto etiam filio nostro, tunc suo, Jacobo tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali Rospigliofo nuncupato: post sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam ad honorem Sanctissimæ, & individua Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholice, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac ejus matura deliberatione præhabita, & divina ope sæpius implorata, ac de Venerabilium, Fratrum nostrorum, tunc suorum, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Petrum de Alcantara Sanctum esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesia quolibet anno decima octava Octobris, illius obitus die memoriam ejus inter Sanctos Confessores non Pontifices, pia devotione recolere debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

§. 27. Postea idem Clemens Prædecessor noster, ejusdem Sancti festum die decima nona Octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis univèrsi Ordinis Sancti Francisci tam Fratrum, quam Monialium, tam hætenus erectis, quam in posterum erigendis; & ubicumque locorum existentibus visitaverint, Indulgentiam plenariam perpetuam concessit.

§. 28. Deo igitur Optimo Maximo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, gratias agere eundem Clementem Prædecessorem decebat, qui benedixit hunc Servum suum in omni benedictione spirituali, ut esset Sanctus, & immaculatus coram ipso, & curreret in via mandatorum Divinorum, dilatato corde ab eximia charitate: cumque illum Divina pietas huic nostro sæculo indulserat, qui antiquæ prodigia sanctitatis instauraret, eundem singulari cultu prosequeretur, ejusque auxilium in hisce Christianæ Reipublicæ necessitatibus enixius imploraret.

§. 29. Ne autem de Decreto, Definitione, Adscriptio, Statuto, Concessione, aliisque

Clemens IX. jejunia indicit, & Indulgentiam concedit.

Dies Canonizationis indicitur.

Canonizatio

Sancti festum decernitur.

Indulgentia plenaria perpetua.

Pontificis gratiarum actio.

Decreti confirmatio.

Validitas processuum.

Corporis translatio.

Beatificatio.

Processus alius ob decreta Urb. VIII.

Innocent. X. comprobata miracula.

Alexand. VII. obitu rememorata Canonizatio.

Carolus II. Rex Hispaniarum instat pro Canonizatione.



præmissis, pro eo quod ipsius Clementis Prædecessoris literæ ejus superveniente obitu confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari: volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod Decretum, Definitio, Adscriptio, Statutum, Concessio, aliaque præmissa à dicta die quarto Kalcadas Maii suum consequantur effectum; ac si super illis ipsius Clementis Prædecessoris literæ sub Data ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præsentis literæ ad probandam plene Decretum, Definitionem, Adscriptionem, Statutum, Concessionem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius administriculum requiratur.

Publicatio  
& fides.

§. 30. Cæterum quia difficile foret præsentis nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset deferri; Volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 31. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Dat. P. An. r.  
Id. Maii.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, Quinto Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo.

### † Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Franciscus Episc. Ostien. Card. Barberinus  
S. R. E. Vicerecancelarius.

† F. M. Episcopus Tusculanus Cardinalis Brancatius.

† Ego Uldericus Episcopus Albanensis Card. Carpineus.

† Ego Virginius tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Ursinus.

† Ego Cæsar tit. SS. Quatuor Coronator. Presbyt. Card. Facchenettus.

† Ego Alderanus tit. S. Prædix Presbyt. Cardin. Cybo.

† Ego Fridericus tit. S. Petri ad Vincula Presbyt. Card. Sfortia.

† Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Presb. Cardin. Odescalcius.

† Ego Aloisius tit. S. Alexii Presbit. Cardinalis Homodeus.

† Ego P. tit. Sancti Marci Presb. Card. Otthobonus.

† Ego Laurentius tit. S. Chrisogoni Card. Imperialis.

† Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cælio Presb. Card. Santacrucius.

† Ego Jo. Baptista tit. S. Marcelli Presbyt. Cardin. Spada.

† Ego Franc. tit. SS. Quatuor Coronator. Cardin. Albitius.

† Ego Osvavius tit. S. Cæciliæ Presbyt. Card. de Aquaviva, & Aragonia.

† Ego Carolus tit. Sanctæ Priscæ Presbyt. Cardin. Pius.

† Ego Carolus tit. S. Eusebii Presbyt. Cardinalis Gualterius.

† Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Card. Chifius.

† Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presbyt. Card. Franzonus.

† Ego Petrus tit. Sancti Calixti Presbyt. Cardinal. Vidonus.

† Ego Nereus tit. SS. Nereæ, & Achillei Presbyter Card. Corfinus.

† Ego Carolus tit. S. Anastasiæ Presb. Cardinalis Bonellus.

† Ego Carolus tit. S. Susannæ Presbyt. Cardinalis Caraffa.

† Ego P. tit. SS. XII. Apostolorum Presb. Card. de Alteriis.

† Ego Cæsar tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presbyt. Card. Rasponus.

† Ego Carolus tit. S. Mariæ de Aracæli Presbyt. Card. Robertus.

† Ego Jacobus tit. S. Sixti Presbyt. Cardinalis Rospigliosus.

† Ego Fridericus tit. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hassia.

† Ego Carolus Sancti Cæsarei Diac. Card. Barberinus.

† Ego Decius Sancti Eustachii Diac. Cardinalis Azzolinus.

† Ego Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Diac. Card. Mancinus.

† Ego Paulus tit. Sancti Georgii Diac. Cardinalis Sabellus.

† Ego Sigismundus S. Mariæ in Domnica Diac. Card. Chifius.

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

Indulta, gratiæ, & Privilegia, Conclavistis, qui in Conclavi adfuerunt, quando ad Pontificatum fuit electus, concessa.

Similia Privilegia, & Indulta Conclavistis concessere plures Summi Pontifices, inter quos Clemens IX. supra Const. 3. Nos volentes.

C L E M E N S P A P A X .

Motu proprio, &c. Nos volentes dilectos filios Conclavistas, qui Conclavi, in quo di-

causa In-

vina